

sicut formica congregat sibi in aestate annonam ex messibus, unde possit vivere in hieme: ita provideat sibi unusquisque pabulum animæ e concionibus. Est autem quadragesima ad has verbi Dei fruges colligendas commoda valde, siquidem in ea passim crebriores fiunt conciones, quas si surda vel inattenta aure pertransierimus: *Ipsa nobis medicamenta*, ait S. Augus. serm. LV. de tempore, *convertentur in vulnera; et inde habebimus iudicium, unde potuimus habere remedium*. Et timendum ne id multis, quod quibusdam Israelitis, accidat, quibus nimia abundantia cœlestis mannae fuit vermium materia, qui quanto majorem illius copiam asportarunt, tanto plures vermes domi reppererunt. Concionum ergo copia neglecta pariet copiam vermium, qui rodent corda improborum in iudicio et gehenna. Quare, auditores: *Hortamur vos*, inquit apostolus, in epistola hodierna, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, hoc est, tempus hoc tam commodum et acceptabile ad animam ædificandam, ad tondendos capillos peccatorum, ad minnendum sanguinem poenarum, ad redimendam gratiam et merita, ad præliandum contra hostes animæ, ad infantes abtractandos, ad spargendum semen, ad colligendas fruges, frustra et inutiliter elabi vobis sinatis.

## CONCIO V.

MOTIVA AD AMPECTENDUM OBVIIS ULNIS  
QUADRAGESIMALE JEJUNIUM.

- I. Exemplum, primo Christi, secundo sanctorum. — II. Societas, primo orbis christiani, secundo gentilium. — III. Incitamenta, primo præmii promissi, secundo poenæ imminentis.

## THEMA.

*Postquam jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit. Matth. IV.*

Rem novam, auditores. Appulit nuper ingens navis asellis, halecibus et hujusmodi quadragesimalibus cibus onusta de mari occidentali ad ostia Albis, iter ad nos dirigens; eam vero nos in hanc nostram urbem pertrahere debemus, indeque victitare tota quadragesima: sed qua ratione, dicet aliquis, hanc onerariam navim ad nos adverso flumine devehemus? Jungendi imprimis equi robusti, qui præcedant et navim trahant. Deinde, qui in navi sunt remigare debent. Denique, vela expandenda et ventorum adjumento utendum. Hoc pacto navis non difficile adversas undas superabit. Atque hæc subsidia sunt quæ

jejunii hujus pondus mirum in modum sublevant. Audiamus.

I. Præcedunt et trahunt navem Christus et veteres Christiani. Christus primo, qui et ipse jejunavit, et quidem ante nos multoque rigidius, quam nos jejunemus. Nam primo, totis quadraginta diebus nihil comedit vel bibit; secundo, jejunavit media hieme, quando ob circumstantis frigus major est ventriculi calor, proinde cibi appetentia, statim post festum epiphaniæ incipiendo, sexto januarii: tertio, dies illos quadraginta sub dio egit in orationibus et vigiliis citra humanam consolationem, eratque cum bestiis, ut ait S. Marcus. Nobis vero una refectio quotidie conceditur et caro tantum prohibetur: *Nos jejunamus tempore nobis congruo*, ut ait S. Hieronymus ad Marcellam, scilicet nec nimis calido, nec nimis frigido: nobis denique honestæ recreationes hoc tempore non prohibentur; quamquam eam moderatæ et licite esse debent. Ut taceam quod Ecclesia sequi ducem suum detrectabit? Non dixit ille: Qui vult sequi post me, tollat crucem meam, sed: *Tollat crucem suam*, hoc est, suis humeris et viribus parem. Præcedit ipse pedes, cur nos in equis sedentes sequi detrectemus? Certe S. Ambrosius, serm. XXXVI. vult quadragesimam a Christo constitutam. Prædictionem ejus habemus Matth. IX. *Auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt*, inquit Dominus. Et tametsi is forte per semetipsum non præcepit nobis jejunium, sed tantum per apostolos et Ecclesiam suam, nonne adhuc deceret saltem imitari Christum? Sufficiebat apostolis, quod vidissent Dominum jejunio præcessisse, non requirebant præceptum; protinus enim viderunt decere omni modo ut eum imitemur, qui nostri causa jejunavit. Hinc enim Dominus prædixit per Oseam, c. XI. *In funiculis Adam traham eos*, id est, in funiculis hominis. Non enim vult nos trahi Dominus ad opera bona injecto fune sicut trahuntur bruta per pontem vel ad macellum (quia lex nostra lex amoris est, non timoris servilis) sed sicut homines trahuntur. Trahuntur autem homines, cum vident suum ducem, principem vel dominum aliquo præcedere, quia hunc non sequi, pudori et ignominia sibi ducunt: sic Davidem regem nudo capite ambulantem sequitur omnis populus, II. Reg. XV. Alexander Magnus Persidem interiorem ingressurus cum iter perpetuis nivibus gelu concretis offenderet, milesque inde territus reverti vellet, rex castigare territum supersedit. Cæterum ipse equo desiliit pedesque per nivem et concretam glaciem ingredi cepit. *Eruberunt non sequi*, ait Quintus Curtius, lib. V. de rebus gest. Ale-

xand. *primum amici, deinde copiarum duces, ad ultimum milites, primusque rex dolabra glaciem perfringens, iter sibi fecit, exemplum regis cæteri imitati sunt*. Ita Curtius. Quid putatis Christiani? Annon ad paschale imo cœleste gaudium introducere vult nos Christus? Sed per poenitentiam, sed per jejunium eundem est. Quid tum? Ipse prævit et prior glaciem carnis fregit nobisque iter pandit: seculi mox apostoli, tum orbis totus. Quid nos? Pudeat non sequi.

Secundo, præcedunt et trahunt navem jejunii, veteres patres et viri sancti. Primo, jejunia apostolorum frequentia et rigida fuisse patet ex Domini prædicatione, Marci II. Paulus vixit in jejunio multis, I. Cor. XI. et alii cum ipso, Act. XIII et XIV. S. Petrus apostolus pene semper jejunans, nihil aliud sumebat in cibum, nisi lupinos minuto asse vaneuntes, ut scribit Gregor. Nazianz. in orat. de pauperum amore. Sanctus Matthæus oleribus, baccis et seminibus, non autem carnisbus vescabatur, teste Clemente Alexandrino, libro II. pædagog. cap. I. S. Jacobus a carne et vino semper abstinebat, teste Eusebio, lib. II. hist. cap. XXII. Primi illi Christiani, qui apud Alexandriam a S. Marco instituebantur in aqua tantum, pane, sale et hyssopo jejunabant, et alii eorum, quarto, quinto, sexto demum die corpus reficiebant, ut refert ex Philone Eusebius, lib. II. cap. XVII. Lucianus in Philopatro testis est Christianos sic solitos servare jejunium quadragesimæ, ut decem soles sine cibo transigerent. Post hos viri notæ sanctitatis, quorum aliqui totos quadraginta dies sine cibo transegerunt, ut Simeon Stylites in columna triginta novem cubitorum stans per diem et pernox, apud Theodoretum; Simeon Salus, apud Leontium; Mamas, apud Metaphrasten; Macarius, apud Palladium; Sanctus Gerasimus, apud Cyrillum. Monachi deinde veteres quorum aliquot totis viginti diebus sine cibo vixisse scribit Gregorius Nazianzenus ad Hellen. Alii e cœnobiis in solitudines per quadragesimam dimittebantur ut vel herbis viverent, vel exiguo cibo, quem secum e cœnobio tulerant, etc. Monachi Tabennesiote quadragesimam transigebant, cibus igne non coctis. In vitis pp. de laicis quibusdam testatur Irenæus et Epiphanius, quod alii quadraginta horas, alii duo, alii tres, alii septem, dies integros jejunarint, præcipue sub finem quadragesimæ. S. Hieronymus, in VII. ep. ad Lætiam de institutione filia, prohibens in tenella ætate onera abstinentiæ: *In quadragesima tamen, inquit, continentia vela pandenda sunt et toti aurigæ retinacula equis laxanda properantibus*. Accedat imp. Justinianus, qui in quadragesima, per duos dies cibus abstinebat

et vino, solis pauculis herbis agrestibus aceto maceratis victitans, ut refert Procopius, lib. I. de ædific. Justin. Carolus magnus jejunio etiam cum periculo valetudinis corpus suum exercuit, Mutus, l. VIII. Primislaus Poloniæ rex per quadragesimam vino deluto admodum aut insipidiore cerevisia utebatur, cilicium interim super nudo gestans, Crom. lib. IX. Ad hæc abstinebant veteres Christiani non solum a carne, ovis, lacticiis, sed etiam a vino et multi a piscibus, ut patet ex Epiphani. in compendio, Basilio, ser. LXII. de jejun. Hieron. in epist. ad Eustoch. etc. Denique, etiam majores nostros ante hoc sæculum rigidiores fuisse in jejunio ex eo patet, quod nostra primum memoria ante non multos annos dispensatum sit nobiscum, ut ova et lactinia comedere possemus. Illi etiam annis abhinc trecentis tertiam pomeridianam horam raro prandebant: nihil de collatione vespertina sciebant, ut patet ex S. Bern. serm. III. de quadr. Hæc erant veterum Christianorum jejunia, qui haud dubie optime sciebant, cur ita jejunarent. Contendebant enim quilibet eorum Christi jejunium imitari eique esse quam proximus: et præterea sciebant, quas pareret jejunium virtutes et utilitates. Quorsum nunc devenimus, qui ne tantam quidem Ecclesiæ indulgentiam in jejunando ferre possumus? Videtur mihi hic jejunii progressus in Ecclesia apte comparari posse cum statua Nabuchodonosoris, cujus caput erat de auro optimo, pectus et brachia argentea, venter et femora ærea, tibiae autem ferreae, pedum denique pars alia ferrea, alia de luto et fictilis, Dan. II. Jejunium Christi capitis nostri de auro optimo, quia omnium præstantissimum; apostolorum et primorum Christianorum de argento, quia jejunabant serio, imo jejunia instituebant, et interim tamen salutem aliorum et prædicationi incumbabant; eremitarum, monachorum et aliorum Christianorum qui apostolis successerunt, ex ære quia fortissima, diuturna et plane ærea; majorum porro nostrorum ferrea suo adhuc rigore constantia, nec multum adhuc remissa. Denique, pedes sumus nos, quorum jejunia partim adhuc ferrea et pristini vigoris, uti religiosorum et paucorum in sæculo, partim vero lutea, uti sæcularium pene omnium, qui tot dispensationibus Ecclesiæ non contenti sibi ipsis jejunia relaxant quantum volunt, et vel prorsus non jejunant, vel admodum dissolute. Unde si ut apostolus ait I. Cor. III. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, debetur Christo corona ex auro optima, apostolis et coævis Christianis ex argento, successoribus eorum ex ære, majoribus nostris et hodiernis monachis ex ferro, nobis vero ex luto,

atque utinam non illa, de qua Isa. XXII. dicitur : *Coronans coronabit te tribulatione.*

II. Remigant in navi ex una parte Christiani, ex altera gentiles. Primo, orbis christianus, qui universus omnibus christianis sæculis jejunium quadragesimæ observavit et observat etiamnum. De antiquitate loquitur S. Hieronymus, in epist. ad Marcellam adversus Montan. cum ait : *Nos unam quadragesimam ex traditione apostolorum toto anno, tempore nobis congruo jejunamus* : et Theophilus Alexandrinus, in opere paschali : *Habemus quadragesimam, inquit, ab apostolis institutam et ordinatam.* Idem testantur Clemens, Epiphanius, Leo alique, esse videlicet quadragesimam traditionem apostolicam, et patet ex S. Ignatio discipulo S. Joannis apostoli, qui in epist. ad Philip. ait : *Quadragesimam nolite pro nihilo habere : imitationem enim continet Dei conversationis.* Sed et canon extat apostolorum LXVIII. ubi clericus jubetur deponi, qui quadragesimam paschæ non jejunaverit ; laicus vero communione privari, quod etiam fecerunt posteriora Concilia. Gangrense anno 324. transgressores excommunicat, can. XIX. Toletanum octavum, anno 670. eos communione in paschate privat et toto anno carnis esu prohibet. De universalitate illius S. Basilius, serm. posteriore de jejuniis ait : « Non insula, non terra, non civitas, non gens, non denique locus ullus tam desertus est, ubi prædicatio de quadragesima non fuerit audita : sed et exercitus et iter facientes terra marique, mercatores quoque omnes similiter audiunt libenterque suscipiunt. Quare nemo se ex jejunantium catalogo eximat, in quo omnia genera, omnis ætas et omnes dignitatum differentie recensentur, etc. » Hæc Basil. Sanctus item Bernardus, serm. III. de quadrages. ait : « Hactenus usque ad nonam jejunavimus soli, nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum pariter universi, reges et principes, populus et clerus, nobiles et ignobiles, simul in unum dives et pauper. » Quando itaque tam antiqua et tam communis est quadragesima omnibus sæculi et nationibus nota et usitata, quando orbis totus remigat in hac navi, num soli nos otiamur ? Annon merito nobis dicitur, quod Jonæ dormienti intra navem media in tempestate dictum fuit a gubernatore navis : *Quid tu sopore deprimeris ? Surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis et non pereamus.* Facta erat tempesta magna in mari, et navis periclitabatur conteri. Et timuerunt nauatæ et clamaverunt viri apud Deum et miserunt vasa de navi in mare ut alleviaretur navis. Solus Jonas interim dormiebat, unde et merito sors super illum cecidit ut in mare mitteretur, Jon.

cap. I. Quis non videt tempestatem et necessitates hujus temporis, jactationem Ecclesiæ catholicæ ? Et ecce orbis catholicus totus nunc laborat, jejunat, orat. Quis etiam non videt pericula nostra, quibus in carne jactamur ? Et cur non alleviamus navem ; quod jam omnes faciunt ? Quid mirum si ss. canones ejeciant ab Ecclesia eos, qui soli non jejunant, velut Jonam e navi ? Deinde, qua ratione audemus apostolicam illam quadragesimæ traditionem abjicere, quæ ab ipso Christo per apostolorum manus ad nos devenit ? Venerorum dux quotannis semel despondet et subjicit sibi mare annulo magni pretii maximisque aliis impensis, nec ulla ratione hanc caeremoniam dimittit, quia ante annos 430. circiter de manu Alexandri tertii pontificis annulum accepit, ut eo sibi quotannis in mare jacto oceanum subjiceret et mare desponderet, atque ita omnes scirent, maris sibi dominium concessum, auctore Villamontio, lib. IV. peregrin. cap. XXXIV. Similem gratiam accepimus a Christo per manus apostolorum, quadragesimam, de qua hodie Ecclesia canit : *Videte, ne in vacuum gratiam Dei, id est, quadragesimam, accipiatis.* Ea enim subjicimus nobis carnem seu ventrem. Unde Sanctus Chrysostomus, in epist. ad Philip. serm. XIII. ait : « Non tot malorum causa est mare fines supergressum, quot venter corpori animæque nostræ : mare omnem terram, in quam se effuderit, obruit ; venter vero universum corpus. Pone illi terminum, quod naturæ satis est ; quemadmodum mari Deus posuit litus. » Hæc ille. Certe uti Venetiæ in maris fluctibus posita : ita anima nostra in carnis periculis et æstibus. Quod annulus ille compescat Venetiæ mare, non credo : quod jejunium, maxime quadragesimæ, a Christo sanctificatum, compescat carnis petulantiam, nihil dubitandum. Teneamus ergo mordicus hanc traditionem multo antiquiorem, multo efficaciorum, multo digniorem.

Secundo, etiam gentiles : non jam dicam veteres, qui olim cœnabant tantum, non predebant adeoque semel tantum in die comedebant, et quomodo nos in quadragesima, jejunabant semper : *In usu enim non erant prandia,* ait Isidorus, lib. XX. etymol. cap. II. et Cassiod. in Ps. XIV. *Antiquis mos erat, inquit, semel cibum sumere.* Idque rigide observavit Plato, qui in ep. ad Dionis propinquos ait : *Nullo modo placuit, bis in die saturum fieri,* apud Cic. lib. ult. Tuscul. quest. Qui etiam ad discipulos suos quid peregrinum recensere volens, dicebat : *Vidi monstrum in Sicilia bis in die saturum ;* sed qui etiamnum ut Brachmanes et Boncii, Indorum sacrificuli jejuniis addieti sunt, mediam tantum diem tolerant, sale et pi-

pere abstinent, vinum non adhibent. De incolis Cambaiæ urbis in regno Mogor scribit p. Emmanuel Pinnerus, in his relat. de magno rege Mogor sequentia : « Quidam eorum extrahunt jejunium in octo diebus, alii in quindecim, viginti, triginta ut nec bolum sumant ; tantum licitus est potus aquæ, si sitiant. Cuidam hanc poenitentiam agenti oculus sinister e capite excidit. Res miranda est quanto in pretio apud eos sit Brachmanus (qui est quasi quidam vicarius), neque enim negotiationes suas auspiciantur, nisi illo prius mane honorifice consalutato. Ego sane omnino pudelfactus abii, cum viderem istos plus honoris vanis diis, quam me vero et æterno Deo deferre. Unus eorum mihi dixit, si Brachmanus suus sibi imperaret, ut omnes facultates suas erogaret in pauperes, se facturum ; vitam quoque daturum, si ita juberet. Et ita communiter affecti sunt omnes. » Hæc ille. Numquid isti, auditores, non accusabunt nos in judicio, si verissimo Christi vicario jejunium præcipienti minime acquiescamus ? Denique, etiam Turcæ et Mauri crebra et rigida peragunt jejunia, quibus non modo a vino ut alias semper, sed ab aliis etiam escis toto die abstinent : qui tamen interim fere omnes bellatores sunt. Unde merito christianus quidam imperator ad milites suos a Saracenis victos, cum illi causam acceptæ cladis in vini inopiam conjicerent, quod scilicet vinum soleat hominum animos accendere et corpori vigore agilitatemque addere, exprobrando dixit : *At qui nos vice-runt, aquam potant,* quippe cum eorum legibus vinum ei prohibitum sit. Refert Maiolus, tom. II. canic. coll. V. Vereor profecto, ne id ipsum nobis aliquando exprobrat imperator noster cœlestis. Vinum non habent gentiles cum jejunant, quia gratiam Dei confortantem non habent : vinum non habent, quia mercedem jejunii in cœlo non habent : vinum non habent, quia reipsa a vino abstinent. At vero nos cum jejunamus, numquid possumus dicere : Vinum non habemus ? Habemus gratiam excitantem, Christi et sanctorum exempla, Ecclesiæ præceptum, cohortationes, minas, internam Spiritus sancti excitationem et unctionem : habemus mercedem multiplicem nobis a Deo promissam : habemus ipsum materiale vinum nequaquam nobis vetitum. Quomodo ergo vinei nos sustinemus ab iis, qui aquam potant ?

III. Ventus subsequens et navim promovens est item duplex ; alter præmium jejunantium, alter poena prævaricantium. Prior eurus suavis, præmium est Dei, angelorum favor et amicitia, jejunantes sequens. Etenim S. Basilius, orat. II. de jejun. ait : *Cum Deus jejunantes conspicit, vocat*

*omnes cœli cives ut eos intueantur. Colligitur id ex hoc, quod Eliam vocavit ad spectandum jejunium Achab : Nonne vidisti humiliatum Achab coram me ? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus,* III. Reg. XXI. Et hinc in evangelio diei cinerum audivimus, Matth. VI. Dominum dicentem : *Cum jejunas, unge caput tuum, etc. et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quis autem pugil non alacriter certat, si videat se a principe ejusque aula spectari ? Annon Pharisæi jejuniis se conficiebant, ut viderentur solum hominibus jejunantes ? Et quanto gloriosius est habere spectatorem Deum ? « Quid desideras ? (inquit S. Chrysost. hom. XIX. in Matth.) Nonne habere aliquos tuorum operum spectatores ? Ecce igitur habes, non angelos, atque archangelos tantum, sed etiam hominum omnium Deum. Quod si habere etiam homines spectatores concupiscis, nec hac quidem mercede privaberis ; sed cum opportunum tempus advenerit. Nam modo si spectari velis, decem, aut viginti, aut centum tantummodo hominibus ostentare te poteris : si autem nunc latere curaveris, tunc (in die judicii) ipse te prædicabit Deus, toto prorsus orbe, etc. » Unde in Græco additum est, in aperto, scilicet, reddet tibi. Nec minus te animare debet, quod tu non videas Deum ; non enim certat pugil, quia videt principem, sed quia se ab illo conspici novit. Quoniam igitur in hoc quadragesimali certamine spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus, ipsique adeo Deo, cur non alacriter certemus ?

Ad hæc jejunantes, ait idem Basilius ubi supra ab angelis singulari custodiri tutela et libentius, quod intelligi ex hodierno evangelio potest, ubi post jejunium accesserunt ad Christum angeli et ministrabant ei. Et præterea ibidem ait : *Angeli hoc tempore per omnes Ecclesias jejunantes describunt.* Describunt arbitror, sicut parochi communicantes, ut sciant quinam digni sint sacra sepultura, qui non. Describunt, sicut notarius eos qui ad nuptias invitati, promittunt se venturos, ut sciant qui cum Christo sponso sessuri sint ad mensam Patris ejus in cœlo ; sic enim ipse prædixit Marci II. tunc jejunaturos videlicet filios nuptiarum in diebus illis quando ablatus fuerit ab eis sponsus, id est, post passionem et ascensionem ejus. Unde qui jejunia induta servant, ostendunt se prædestinatos et filios nuptiarum Christi esse. Certe S. Franciscus suæ prædestinationis certissimum characterem ab angelo accipere per jejunia commeruit, qui præter paschalem quadragesimam, duplicem aliam jejunabat, unam ante festum assumptionis, in honorem

B. Virginis, alteram post illud festum in honorem ss. angelorum; unde in fine hujus jejunii, præmii loco sacra Christi stigmata per Seraphim sibi impressa accepit. Ita S. Bonavent. in ejus vita. Contra vero qui se perperam excusant et varias præstunt necessitates, cum invitatis illis non gustabunt mensam Christi.

Alter ventus austerus et aquilo, pœna est quæ jejunium frangentibus a tergo insidiatur. Non enim leve peccatum est, ait S. Ambrosius, serm. XXV. *indictum violare jejunium*; et serm. XXXI. *Quisquis Christianus consecratam jejunando non impleverit quadragesimam, prævaricationis et contumaciæ reus tenebitur*; et serm. XXXVII. *Quadragesimam in totum non servare sacrilegum est; ex parte violare peccatum est*; et Sanctus Augustinus, serm. LXII. de tempore ait: *Alio tempore qui jejunit, accipit indulgentiam: in quadragesima qui non jejunit, sentiet pœnam*: sanctus etiam Basilius, oratione II. de jejunio, ait: *Minus periculosum est militi abjecto scuto ad aciem inimicorum fugere, quam homini christiano extra catalogum jejunantium inveniri*. Sanctus Ambrosius, serm. XXV. perpendit periculum Jonathæ, quod incurrerat dum contra præceptum patris sui, quod tamen ignorarat, parum mellis gustasset: siquidem ex patris sententia mori debuisset, nisi populus adeo reclamasset, I. Reg. XIV. Adjuraverat Saul exercitum ut ne quis comederet panem usque ad vesperam, donec ulcisceretur se de hostibus suis. Et ex toto exercitu cum viderent mel in via jacens, nullus applicuit manum ad os suum, ut vel paululum id gustaret, adeo timebant regis præceptum præter Jonatham, qui præceptum non audierat, sed postquam id violasset, et audisset, improbavit. Unde reus mortis a patre proclamatur. Jam vero jejunium quadragesimæ præceptum nobis est ab apostolis et primo, omnium a Sancto Petro, ut dicitur et scribit Abulens. Matth. cap. VI. q. CLII. Et deinceps nobis præceptum est ab omnibus pontificibus, adeoque etiam a Christo, cujus personam illi representant et directione eius reguntur. Quod si igitur exercitus Saulis universus abstinuit ad ejus præceptum et minas, nos non abstinemus? Et si ignorans Jonathas, ait Sanctus Ambrosius, *ibid. indictum a patre jejunium, quia resolverit, morti addicitur: qui sciens indictum a Christo resolverit jejunium, quid meretur?* Hæc ille. Et si insuper quis præceptum hoc contemnere, vel in ejus contemptum id prævaricari audeat; quid quæso meretur ille? Exempla sunt plurima eorum, qui propterea graviter puniti sunt. Mart. Cromerus, l. V. histor. Polon. refert Polonos Nactum Pomeranorum arcem obsidentes, dum quadragesimam

non jejunando nec a carnibus abstinendo violarent, nocturnis umbris quasi hostili exercitu exagitatos, et e castris evocatos occasionem dedisse obsessis, ut de nocte erumpentes castra eorum succenderent et magnam stragem ederent: Polonique re infecta discedere cogerentur. Similem stragem passi sunt Geusii referente Tilmano Bredemb. lib. VII. collat. sacr. c. XV. anno 1575. fer. IV. paschæ, quando ab Hispanis fusi sunt: eo quod hæretici illi Geusii per quadragesimam carnibus saturarentur contempta religione; Hispani vero quadragesimam religiose peragerent, prædicente illis vicino quodam parrocho, se quidem lætum, hostes vero triste pascha habituros.

Denique, a tergo flat ventus igneus e gehenna, qui aduret eos, qui nunquam jejunare et suæ ingluviei unquam detrahare volunt. Dicite enim mihi, quidnam damnavit epulonem evangelicum, ut inter flammam tartari æternam sitim et esuriam pati debeat? Non certe splendor vestium, nec apparatus convivii, (quis enim damnat eos omnes qui delicate vestiuntur et vescuntur?) sed nimirum id, quia *quotidie* epulabatur splendide, perpetua agebat bacchanalia, nunquam interrupit luxum, nunquam jejunavit, nihil unquam ori detraxit. Hoc ergo æternum jejunium haud dubie expectat eos, qui omnia excludunt jejunia, semper in popinis sunt; et forsitan etiam temporales aliæ plagæ, qualis comprehendit Hebræos in deserto, qui carnes desiderarunt et obtinuerunt quidem, sed ad suam perniciem et interitum.

## CONCIO VI.

## QUID FACIENDUM PER QUADRAGESIMAM.

I. Jejundandum. — II. Vigilandum. — III. Orandum. — IV. Frænanæ cupiditates. — V. Solitudini studendum. — VI. Pugnandum cum dæmone.

## THEMA.

*Ductus est Jesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo. Matth. IV.*

Christum Dominum lætanter et cum desiderio in desertum abiisse ad jejundandum, conjicitur ex Matth. cap. IV. ubi dicitur: *Ductus est Jesus in desertum a spiritu*: ex Marco, cap. I. qui scribit: *Expulit eum spiritus in desertum*: ex Luca, cap. IV. ubi dicitur: *Agebatur a spiritu in desertum*. Quis enim duceret, quis expelleret, quis ageret Christum in desertum, nisi proprius ejus Spiritus, qui paulo ante in baptismo super eum requievit

et qui a Patre et Filio procedit? Summa igitur promptitudine, summa alacritate Christus in deserto abiit: quia ut Ambrosius, in c. I. Lucæ ait: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*. Utinam vero et nos tali Spiritu acti ingressi essemus quadragesimam! Utinam non coacti; utinam non tristes, quo et ipsi filii Dei appellari mereremur, juxta id apostoli ad Rom. VIII. *Quicumque filii Dei sunt, spiritu Dei aguntur!* Credam igitur vos Spiritu sancto afflatos inchoasse hoc jejunium, si per nostram quadragesimam ea agere studueritis, quæ per suam egit Christus. Quænam vero illa? Audite.

I. Christus jejunavit, non sibi ad remedium, sed nobis in exemplum; quando enim Christus eguit jejunio cum nullam senserit carnis rebellionem: multo minus vinci ab ea potuerit? Quod igitur magister facit discipulo, hoc nobis Christus fecit. Citharæodus quispiam coram discipulo cithara ludens, non ludit propter se ut ipse discat, sed ut discipulum doceat. Cithara corporis Christi optime concinnata erat: nulla ibi passionum intemperies, nulla appetitus rationalis et sensitivi, carnis et spiritus dissonantia: unde ad omnes virtutum actus et præcepta implenda expedita erat. Non ita corpora nostra in quibus contrarietas spiritus et carnis, per quam impedimur ne viam mandatorum Dei facile curamus: atterenda igitur caro, jejuniis tendendæ chordæ passionum, subjiciendi sensus rationi, ut cum spiritu et Dei voluntate concordent. Hoc fine quadragesima ab apostolis instituta, ut per eam corporis nostri fides accommodemus, quo postea in paschate lætissimum Alleluia, quod est angelorum canticum, canere possimus. S. Ambrosius, ser. III. in quadrag. ait: « Scriptum est (I. Joan. II.) qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare: si ergo vis Christianus esse, debes, quod Christus, facere. Ille qui peccatum non habebat, quadragesimam jejunavit: tu non vis quadragesimam jejunare, qui peccas? Ille inquam peccatum non habebat, sed pro nostris jejunavit peccatis: qualis ergo apud tuam conscientiam Christianus es? Cum Christo pro te esuriens tu prandes? Cum Salvatore pro te jejunante reficeris? » Hæc Ambros. Rudolphus Austriacus imperator cum adversus Ottocarum Bohemiæ regem castra movisset et gravi commeatu (potus præsertim) inedia laboraret, ferunt colono, qui forte sacis messoribus siceram deferebat, fuisse ablatam et Rudolpho adlatam; qua visa: *Reddite*, inquit, *homini vasculum, ego enim non mihi, sed exercitui sitiebam*; quo audito exercitus una cum imperatore suo sitim fortiter toleravit, Æneas Sylvius,

lib. III. comment. in res gestas Alphonsi. Ecce abstinentia imperatoris totum exercitum animavit ad inediam et sitim fortiter tolerandam: quomodo igitur cum Christo duce nostro non alacriter jejunemus, cum videamus eum non sibi, sed nobis esurisse?

II. Vigilabat, quia nemo dormiens dicitur jejunare, Christus autem jejunasse dicitur et jam quadraginta noctibus: nec invenit eum tentator dormientem, sed vigilantem. Ac quo solertius vigilaret, humi procul dubio cubabat (quomodo enim in deserto lectum invenisset?) ac proinde sæpissime excitabatur. Sciebat nimirum Dominus ibi maximas vigere tentatoris insidias, cum pie volunt homines vivere. Non tentabatur in cunis, non in templo inter doctores, non degens apud parentes, non in baptismo, sed jam tempore jejunii et austeritatis: quia tunc maxime insidiatur dæmon homini, cum ab eo vult homo per pœnitentiam et vitæ innovationem recedere. Ita etiam Pharo tunc maxime laboribus et flagellis atterebat Israelem, cum is servitutis jugum excutere et Deo in deserto sacrificare parabat, Exod. V. Ingressi sumus et nos jejunii theatrum, et conabimur, si qui fuimus in dæmonis servitute, ab eadem nunc recedere per pœnitentiam. Unde is omnem movebit lapidem, ut hoc impediatur: pulvinar nobis substernet, quo in peccatis pristinis sopiti conquiescamus: sed vigilandum nobis et identidem expergiscendum est, peccata præterita in memoriam revocanda, conscientiæ remorsus observandi et denique per confessionem tollendi. Quis enim, quæso, dormire posset, si sciret domum suam hostibus undique obsessam esse? Accesserat sæpius aliquando ad lectum S. Bernardi mulier impudica pudicitiam ejus tentatura. Et quid agit Bernardus? *Latrones, latrones*, clamat, *quoties illa venit, eoque clamore mulierem ejecit, ut est in ejus vita. Vigila igitur et tu hoc tempore, et latrones animæ tuæ sedulo observa: ac si quos deprehenderis latrones, latrones clama eosque per confessionem ejice. Proderit ad hoc si corporali etiam vigiliæ plus solito tribuatur, eaque sacræ lectioni et orationi impendatur. Et quomodo duce vigilante stertere audent milites? Audite Uriam industrium militem, II. Reg. XI. *Dominus meus Joab, inquit, super faciem terræ manet, at ego ingrediar domum meam ut dormiam?* Maluit enim dormire et jacere ante portam regis, licet juberetur ab eo domum ire et in lectum suum concedere.*

III. Orabat et meditabatur, quia ducebatur a Spiritu sancto in desertum locum, scilicet orationi et meditationi aptissimum, pari ratione hoc tempore orationi et contemplationi instantius